

vocare; caeteri tamen, vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiae calliditate decepti a fallacie vos laqueis solvite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum viae coelestis agnoscite. Contestantis Apostoli vox est: Praecipimus vobis, inquit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Et iterum dicit: Nemo vos decipiatur inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios contumaciae. Nolite ergo esse participes eorum. Recedendum est a delinquentibus, vel imo fugiendum, nec dum quis male ambulantibus jungitur et per itinera erroris et criminis graditur, a via veri itineris exerrans, pari crimine et ipse teneatur. Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs una in solidam corporis unitatatem concordiae glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari, divulsis laceratione visceribus in frusta discripi. Quidquid a matrice discesserit, seorsim vivere et spirare non poterit, substantiam salutis amittit. Monet nos Spiritus Sanctus, et dicit: Quis est homo, qui vult vitam, et amat videre dies optimos? Contine linguam tuam a malo, et labia tua, ne loquantur insidiose. Declina a malo, et fac bonum, quaere pacem, et sequere eam. Pacem querere debet et sequi filius pacis a dissensionis malo continere linguam suam debet, qui novit et diligit vinculum caritatis. Inter sua divina mandata et magisteria salutaria, passioni jam proximus Dominus addidit, dicens: Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis. Hanc nobis haereditatem Christus dedit: dona omnia suae pollicitationis et praemia in pacis conservatione promisit. Si haeredes Christi sumus, in Christi pace maneamus. Si filii Dei sumus, pacifici esse debemus: Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabantur. Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone